



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

13. Chronicon Mindense.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

CHRONICI
MINDENSIS,

LIBER PRIMUS,

Qui continet Catalogum & nume-
rum EPISCOPORUM MINDENSIVM, &
breuiter recitat, quæ ab istis peracta sunt,
præcipue autem sacra, &c.

Ex
KRANTII METROPOLI
collectus,

Ubi, quæ apud ipsum desiderantur, suppleta & addita sunt

Per
HERMANNUM HAMELMANNUM,
Licentiatum Theol.

Lectori S.P.

*Si Reverendis & celeberrimis Dominis tum sacri tum politici ordinis Proceribus
ditionis Mindanæ placeret: Secundum & Tertium librum de rebus
gestis Mindensium partim ex Krantio, partim aliunde collectos dabo.
Interim his frue Lector, donec illos quoque dem.*

At vero hi, propter Authorem morte præuentum, lucem non ad-
spexerunt.



Reverendis & Magnificis Viris,
 Domino JOANNI MARSMANNO, Abbati
 Mauritiani Monasterii ad S. Simeonem, ejusque
 conventui,

Et

Domino ANTHONIO MINSCHIO, Praeposito
 Collegii Martiniani & Joannitici Decano, & unius-
 que Collegii ceteris Canonicis, &c.

Nec non

Ornatissimo & Doctissimo Viro,
 Domino Magist. HERMANNO HUDEO,
 Scholae Mindensis gubernatori & Rectori celebri, &c.

Suis Dominis & Patronis colendis

S. D.

HERMANNUS HAMELMANNUS,

Licent. Theol.

Fuisse olim Episcopos in patria etiam nostra Westphalica fideles Concilia-
 rores & Doctores, vel ex uno Krantio videre licet. Itaque illi sine ullo
 defectu hinc inde, modo pii & docti essent, ad Ecclesiarum gubernationem
 vocabantur. Ita ex Monasterio Mauritiano vestro, cui T. R. v. Spele-
 bilis Abbas praest, vocatus est in Episcopum, (veluti Zonaras scribit Tomo 3.
 sua historia, de Constantino Orientis Caesare, tempore Caroli Magni, quod
 ex Monachis Episcopos fecerit) Henricus Abbas, factus ibi Praeful 24, qui
 antea translatus erat ad munus Abbatis ex Bursveldico Coenobio, nisi
 sine dubio ita pietate & doctrina profecerat, ut sic ordine ad tantas dignitates
 assumeretur. Quoniam nihil aliud olim fuerit Monasteria & Collegia, quam
 Schola. Quod Krantius saepe monet in diversis locis, quia ipsa etiam collegia
 vetera in Westphalia & Saxonia nihil aliud, teste eodem, quam canonicorum
 regularium, qui in annalibus fratres appellantur, consuberna erant.
 Hoc enim expresse de Magdeburgensi, Bremensi, Hildesimensi, Mona-
 steriensi, Paderbornensi, ac de aliis collegiis scribit, & simul in istis fuisse
 celebres Scholas, quae tunc, quod hodie Academiae sunt, erant, probat ex in-
 stitutione collegii Osnaburgensis Ecclesiae, & ab exemplo aliarum, ut Paderbor-
 nensis, Bremensis, Hildesimensis, &c. taceo, quod scribat de Othrico Mag-
 deburgico Episcopo famigeratissimo doctissimoque, quod magna celebrata

& laude Schola profuerit, & quidem ita, ut non putaret se felicem, qui in
 ipsius Schola non fuisset. Sed recurramus ad priora tempora, ut ostendamus
 deinceps, quis usus fuerit Monasteriorum & Collegiorum. Tempore Chry-
 sostomi in cœnobiis olim Theologica diligenter tradebantur, ut ipse scribit li-
 bro 3. contra vituperatores Monasticos: & quomodo, sub disciplina & instru-
 ctione sacra, discatur doctrina cœlestis in Monasteriis, tradit Olympiodo-
 rus in cap. 3. Ecclesiasticis. Profuisse autem hujusmodi Scholis Abbates, non
 obscure cognoscitur ex Evagrii historia Ecclesiastica lib. 4. cap. 38. ubi de Co-
 none & Ruffo Abbatibus, qui Phrontisteriis praeerant, dicitur: Nam Abba-
 tes, praepositi & Decani collegiis & Monasteriis ita praefecti sunt, ut omnes di-
 scentes & juniores retinerentur in officio discendi & disciplina. Abbas omnium
 pater fuit: Praepositus ceteris ut dignior praeferebatur, Decanus contractius
 nomen erat, qui decem tantum instituendos habebat: Scholasticus praeerat
 puerorum Scholis & habebat hypodidascalos: Cantor gubernabat Scholas ca-
 nentium, quales à Gregorio instituta sunt, teste Joanne Diacono in Gregorii
 vita. Carolus Magnus, in constitutionibus suis Aquisgrani anno 20. regni
 sui factis, obsecramus, inquit, ut Monachi, (putat Abbates) Praepositi congre-
 gationesque ingenuorum filios aggregent sibi que socient, ut schola legentium
 puerorum fiat. Curio lib. 2. Chronologiae suae scribit: sub Carolo Magno
 collegia Canoniorum, studiis & disciplinis non admodum à Monasteriis dista-
 re cepisse. Albinus, praeceptor Caroli Magni, discipulus Adriani Abbatis,
 qui ipsum in scripturis ac in graeca & latina lingua instruxerat, fuit teste Beda
 libro 5. cap. 25. historia Ecclesiastica. Cum autem optimi fuerint Episcopi rite
 suo fungentes officio in Ecclesia Mindensis exordio & progressu, non est dubium,
 quin quoque & reliqui Praesides in collegiis & Monasteriis suo functi sint mu-
 nere. Sed quales & Episcopi, ac Abbates, tum Praelati, Praepositique po-
 stea ibi & alibi fuerint, & quantum mutati à prioribus, experientia docuit. Te
 autem, Abbas reverende, & lectionibus & Bibliotheca studiosum fuisse novi
 ante aliquot annos, cum etiam doctos amares & promoveres ipse non indoctus,
 quem affectum T. R. nondum exuisse spero. Suscipe igitur cum tuo collegio li-
 brum, in quo de vestri Monasterii initio dicitur. Cum etiam, magnifice Do-
 mine Praeposite & Decane, de utriusque, imprimis autem Martiani, cui
 T. D. praest, collegii initio quoque dicatur, cogitabis cum tuo toto sodalitate,
 quomodo Joannes Evangelista Apostolus & Episcopus non solum publice do-
 cuerit, sed etiam quosdam quasi in Phrontisterio & Schola instituerit; ex qua,
 ut plures alii, ita Polycarpus & Ignatius, sancti martyres Episcopi que quasi
 Ecclesia lumina profiliere. Quid dicam de Martino? annon scribit Severus
 Sulpitius in ejus vita, quod non solum Turonum Episcopus fuerit, aut do-
 cuerit

cuerit in Ecclesia, sed etiam quasi sacram Scholam domi, hoc est collegium, ha-
 buerit, quia discipulos plurimos fovit, quos ita instituit, ut cum fructu Eccle-
 siis præficerentur, quia multa Ecclesia ex ipsius collegio petierunt doctores & mi-
 nistros. Hac te, celebris Decane & Præpositi, cujus munificentia in doctis
 & pauperes ab aliis commendatur, perpendere (quia vestra collegia ab eis ve-
 men sortita sunt) credo, atque spero utrumque & D. Abbatem & Te ex animo
 dolere ita in abusum conversa nunc Monasteria & collegia esse. Deinde cui hoc
 librum, licet ab homine Augustana confessioni addicto, quam etiam tuus &
 constanter defendit) benigne suscepturus spero, cum hoc pacto etiam quod pro-
 ros restatum fiat de vestro splendore, dignitate, celebritate & amplitudine, cui
 est simul prudentia & gravitas conjuncta. V. R. rogo, ut semper pergamus iudicis
 & pauperibus benefacere. Te quoque istis conjungo, doctissime & ornatissime
 Magist. Hudæe, quia tu nunc in isto loco, ubi aliquando Monasterium memo-
 dicantium fuit, quod hodie est in Scholam conversum, a splendido vestro Seno-
 juventuti magna cum laude per aliquot annos præfuisi & summa dextera
 multos instituisi, ex quibus plerique in doctos viros evasere inter quos merito
 me recensetur vir doctus & gratia spiritus candoreque conspicuus D. Hille-
 brandus Grothusius, collega meus, & plerique alii, ut literatus juvenis Si-
 mon Hagemannus, Conrector Scholæ Osnaburg. imo ipse adhuc præfideliter
 & feliciter ludo literario magno cum fructu, atque eidem Bibliothecam
 splendidissimam, & optimis omnium pene autorum in quacunque facultate
 artibus singulis libris refertam, adjecisti, quam novis quotidie autoribus ornas
 ut merito is locus verum antiquumque Monasteriorum usum nunc admodum rite
 referat & representet: adde: quod tibi literis, artibus, linguis, cum veris pietatis
 tuos imbiberis, & imbuas diligenter quotidie, ut merito dicaris veri & Chri-
 stiani Scholarchæ munere pie & recte fungi. Ita tradit de æcumenice dactore
 Constantinopolitano, qui habuit 12. collegas, Zonaras Tomo tertio sua historia
 non sine sui commendatione. Gratulor tibi istam felicitatem, & gaudeo tuum
 parentem optimum senem sibi peperisse memoriam bonam, quod dispoferit ve-
 nuam pecuniam in suo testamento, qua quotannis via regia vestra Reip. reparat-
 tur, pauperes curentur, & Scholæ & inopes Scholastici juventur. Hac de re præ-
 dicare volui; & quanquam ipse hoc scripto tibi nihil celebritatis addere possum,
 ut qui ipse ex editis scriptis, & scientia, doctrina, facundia & prudentia clarus
 tamen volui mei in te amoris ac observantia tanquam arrham, hac apud tuos
 simul posteros extare. Saluta egregios viros, D. Joannem Cathemannum
 Senatorium virum & patritium, ejusque fratrem uterinum, tuum affinem
 Christianum Wippermannum: aliis ornatissimis viris, Petro Dop-
 D. Doppio, D. Petreo salutem impertior. Vale cum utroque præ-
 lato amplissimo.

MINDENSIS ECCLESIAE Pontificum Catalogus,
ex *Krantii Metropoli* collectus.

Libro 1. capite 9. *Metropolis* sic refert *Krantius* de Mindensi Ecclesia:

Mindensis Ecclesia Pontifex I. fuit in præcipua religione HERIMBERTUS, sub quo profecit Ecclesia tam in spiritualibus quam temporalibus. Hic frugem divini verbi curavit in populo multiplicari. Quantis annis præfuerit, annales non tradunt.

Libro 1. cap. 23. Post primum *Herimbertum* præficitur insignis vir HADUARDUS, sanctitate & religione præcipuus. Nam ea tum in Pontificibus sola quærebantur. Nec erat illa tempestate Pontificatus, ut magnis contentionibus ambiretur, refugiebant potius onus non uno tamen omnes animo. *Haduardus* sarcinam impositam non detrectavit, laborans ut fortis agricola in dominica vinea. Cæterum, quæ ad speciem peregerit, scripta non sunt. Unum pro certo est, illum lucrificandis animabus & Christo retinendis omnem operam usque ad mortem posuisse. Non referunt annales, quanto tempore præfuerit.

Libro 2. cap. 16. Tertius Mindensis Ecclesiæ Pontifex THEODORICUS, qui in tempora grassantium *Normannorum*, id est, *Danorum*, incidit, quia hic Præsul non solum interfuit, sed etiam præfuit glorioso agmini Christianorum cæso ac tumultuato in *Ebbeftorp* / atque ibi occubuit ut martyr *Theodoricus sub Duce Brunone*, unde *Brunsvicum* nomen habet, &c. Voluere Mindenses corpus sui Pontificis de strage vindicare, sed jam tanta fuit post cædem ex vulneribus & tumore deformatio, ut discerni non potuerit ab alterutris.

Libro 2. cap. 27. Quartus in Ecclesia *Mindensi* Præsul VULFARIUS, vir, ut nomen prodit, Saxonici generis, quem temporum ratio fuisse prodit admirabilem. Non enim vocabant tunc ad Præsulatum, nisi religione & sanctimonia præstantes, ut non modo præesse sed prodesse populo possent. Opus enim tunc fuerat crebra verbi prædicatione, opus instantia singulari ad erudiendum populum in fide recentem, ad confirmandos animos recentes. Pauca autem imo pene nulla de hoc Pontifice sunt ad speciem in literas relata, nec etiam scribitur, quanto tempore præfuerit & quid operum molitus sit. Dies autem transitus ejus fuit primus Junii. Mores & merita versibus illorum temporum sunt insignita:

Nnnn

Hic

Hic Doctor prudens ad opus sublime vocatur,
Aurique DEO messis fecunda paratur.

Hoc dicere, vult, quicumque scripsit, virum fuisse doctum, doctorem plebis, prudentem ad omnia, quippe qui inter lupos dominicum gregem servandum accepit vocatus, ad opus sublime Evangelizandi vita & moribus. Alioqui ubi vita defuerit, quid prodest rotunditas ipsius sermonis. Alioqui faciens & docens magnus est in regno caelorum. Nostra foeliciora videntur tempora, ubi Evangelizandi ministerium delegarunt in Sacerdotes ipsi Superattendentes: Meliora sibi faciunt in decimis, primitiis & oblationibus, equis, armaturis, evascentibus magnificis intenti, curam gregis abiecerunt. Sed haec in aurem legenda, ne offendantur magnates. Illi olim regna conquiverunt aeterna per summae pietatis merita, nostri, si sua in pace & tranquillitate temporum abundantia transigant tempora, foelices se praedicant & vocantur, dum vivunt sancti patres, bene etiam, si hoc nomen retinent in morte.

Libro 3. capit. 8. *Minda quintus fit Pontifex DROGO, sub quo fundatum est Monasterium Dominarum Canonicarum in Mollenbeck, ad annum Christi 896. Fundatrix erat nobilis foemina Silborch & Sacerdos Folcurdus, uterque locuples, centum pagis cum colonis ad hoc collatis: Isti autem institutioni ne deesset Pontifex, contulit quoque ad istud coenobium partem decimarum de suo. Creatur eo in loco Abbatissa insignis puella, fundatricis neptis. Drogo ille erat bonis operibus plenus.*

Libro 3. cap. 13. *Pontifex sextus in Mindensi Ecclesia factus est ADALBERTUS, sed nihil in literas relatum est ex omnibus, quae per eum gesta sunt, vel in divino ministerio, vel in opere quolibet pietatis. Quo tempore Ungari Bremam usque excurrebant. Itaque periculo non caret Mindensis Ecclesia. Vidit haec tempora Adalbertus & istorum incommodum sine dubio sensit. Extant versiculi laudibus ejus inscripti:*

Liberat Ecclesiam depulsis vulpibus agrum,
Nec jam schismaticus vocat ovile lupus.
Non dubitat forti pater obvius ire Leoni,
Maxillisque graves inseruisse manus.

Quae res iudicio est, laborem illi fuisse plurimum in haereticos, schismaticos & male potentes tyrannos. Ille vero sua tempora magna cum laude peregit.

Libro 3. cap. 18. *Septimus* ibidem *Præsul* BERNHARDUS fuit, verum de illo quoque sunt annales nimium breves, in quibus nihil nisi nudum Pontificum nomen reperitur. Sine dubio in consolando grege fuit fidelis, unde de illo versus extant:

Sanctus & electus *Bernhard* fuit *septimus Heros*,
Herculis exemplo mundi ne corruat axis
Hic habet, atque humeris grande retentat opus.

Breve testimonium asserit sanctum, electum & moribus & vita fuisse: & deinde illum Heroicum hominem præstitisse, labentem qui Ecclesiam solus ut fertur humeris sustinerit, veluti alter Hercules, &c.

Libro 3. cap. 24. Sequitur LIDARIUS octavus Pontifex, sub quo fundatum fuit regnante *Conrado Imperatore Monasterium Dominarum in Fischbeck*. Fundatrix erat *Domina Hellenburga*. Varia fortuna jactatum est illud: vix duo anni intervenerant, & ecce *Ungarorum* irruptione nova planeatio subruitur: Et *Monasterium in Overenferken* bene firmatum evertitur, penitus occisis martyrio personis omnibus, qui inerant numero 120. annumerata familia puellarum & clericorum; circa annum 936. *Cænobium in Fischbecke* est quidem restitutum, postea vero proprio incendio exustum, tandem à duobus Episcopis exædificatum. *Monasterium in Overenferken* evastatum & subversum aliquandiu permansit, donec nobilis de *Rheno* puella *Mervinda* omni suo, quod locupletissimum habebat, patrimonio erogato instauravit, & collectis inibi virginibus Domino ibi ministravit, &c. Quam diu hic Pontifex præfuerit, ignoratur.

Libro 3. capit. 27. Post istum venit EVERGISO, qui præfuit, quando *Bruno Ottonis Imperatoris frater* esset *Coloniæ Episcopus*.

Libro 3. capit. 32. Decimo loco præfuit HELINWARDUS, qui cum dubitaret de consecratione majoris Ecclesiæ, evocatis vicinis Episcopis *Osnaburgensi & Paderbornensi*, solemniter consecrationem peregit. Ecclesiam suam vocat *Monasterium*, und: apparet ergo & hujus sicut & cæterarum primordia fuisse regularia: sub ordine vel *Benedicti* vel *Augustini*. De vita Præsulis hi testantur versus:

Hic sublimatus in ordine Episcopatus,
Moribus ornatus, doctus vitæque beatus.

Ergo fuit doctus, sanctus & pius pastor.

Libro 3. capit. 33. Undecimus Pontifex erat LANDOWARDUS, quo

vivente *Monasterium Virginum in Walsrode* est fundatum. De illo hiant versus:

Præful *Landwardus* moribus redolens quasi nardus,
Gregem non tardus servat vigilans quasi pardus.
Carnem castravit, hostem mundum superavit,
His bene peractis, conscendit ad agmina lucis,
Famelicos pavit, sitibundis pocula lavit.

Libro 3. capit. 47. Sequitur MILO, qui hoc ab Otthone III. obiit anno 992. ut *Monasterium* in quodam suo castello *Woburn* exadificaret, ubi quædam sancta inclusa, nomine *Quedwiff* piamolitariam vitam duxit, postea collectis virginibus *Benedictini* ordinis illud factum est. De illo hi extant versus:

Hoc mundi commune jubar, sidus generale,
Omnibus in media urbe revelat iter.

Fuit ergo lumen suo seculo, sicut certum est, atque exemplar vitæ pie.

Libro 4. capit. 21. Sequitur BRUNO, vir præstantissimus, ex choro sumptus *Magdeburgensi*. Hic memor originis suæ apud *Minda* fundavit *Monasterium* in honorem *D. Mauriti*, translatisque fratribus de *Monasterio S. Johannis Magdeburgensi* sub *Meinhardo* I. ejus loci Abbate, anno Christi post mille 42. Inde post quatuor annos consecravit. *Monasterium* in *Kennade*: multum ægrotavit, & tandem cum sedisset annis 18. moriens in *Monasterio* à se fundato reponitur, ut versus indicant:

Condidit hoc templum, quem claudit *Bruno* sepulchrum
Præful, honor patriæ, lumen & Ecclesia:
Vidrix *Minda* dole, novo viduata tyrone,
Ex multis talem vix habitura parem.

Libro 4. capit. 37. Fit ENGELBERTUS XVII. *Episcopus Mindensis* *Bavarus* natione, translatus ex voluntate Imperatoris ex *Ecclesia Bamburgensi*, qui hic sedit per annos 25. & menses 8. diesque 19. Mortuus est sepultus est in *Ecclesia Martini*, quam à *Sigiberto* prædecessore erectam ipse provexit: de quo versus:

Præful *Engelbertus*, ipseque prior *Sigebertus*,
Hic fundatores hilaresque fuere datores,
Ergo DEI pietas dedit his sedes requietas,
Et tibi Martine conregnabunt sine fine.

Sed utinam illo fervore, quo res inchoantur, perhennarentur, qui in renimium falluntur fundatores. Degenerant enim in dieteris omnia. Libro

Libro 5. capit. 25. Sequitur REINWARDUS XVIII. Episcopus, qui sub Henrico IV. vixit, cui controversiam de Ecclesia movit Volmarus, Canonicus Hildesimensis, quia is putabat astipulantibus cognatis se per secularem potentiam irrepserat in Ecclesiam, quia pace data à persecutoribus & Ecclesiarum prædiis auctis, surrexit superbia & securitas, &c. Sed Remwardus prævaluit, de quo sunt versus:

Hic est Reinwardus, animosus ut Leopardus,
Qui quasi flos redolet & ut aroma viget,
Unde debetur ei jure corona poli, &c.

Quam si est affectus, satis prospere processit, ut regnaret. Cap. 35. VOLMARUS, (qui decimus nonus numeratur) tenuit & continuavit Episcopatum usque in annum quintum ex regia, ut putatur, voluntate, tandem subito mortuus est.

Libro 6. cap. 33. Fit deinde Episcopus WITELLO, ordine XXII. qui quomodo præfuerit testantur versus:

Supplicat iste Deum, & motum detinet iræ,
Sedavitque trium vox lachrimosa precum.
Quos fructus habeat simplex oratio justis,

In precibus Moyse quisque notare potest.

Est testimonium de illo devotæ mentis, & quod ejus oratio fuerit apud DEUM valida, &c. Mortuus anno 10. post 1100.

Libro 6. cap. 37. Sequitur ordine XXIII. SIGEWARDUS, qui à legato Pontificio suscepit consecrationem, & præfuit annis 21.

Libro 6. cap. 42. XXIV. Episcopus Minda salutatur HENRICUS, assumptus est è cœnobio Mauriti, translatus primum de Bursveldia, ubi se Monachum fecerat: quæ magnæ sunt virtutis testimonia, ut primum de alieno Monasterio assumeretur Abbas, inde ex eodem Monasterio vocaretur ad regendam Ecclesiam Mindensem. Sedit annis 12. usque ad 56. post 1100. hoc est, ad initium Frederici I. Sepultus est in Monasterio Bursvelde. Quo tempore Comes in Hallermund erexit cœnobium in Schima anno 1148. Et ad ultima tempora Conradi III. crexerant cœnobium ordinis Cisteriensiis conjunctim Comites de Hallermundt & de Aldenborg, ut hæredes ultimi Comitis de Lucka ex Comitatu isto.

Libro 7. cap. 6. Fit Minda Præsul, WERNERUS XXV. magno ortus genere, qui annos sedit 17. & deinde mortuus est anno Christi 1167. in vigilia D. Martini sub Frederico I.

Libro 7. capit. 12. ANNO COMES de ~~BRUNENBONN~~ con-
stituitur XXVI. Episcopus.

Libro 7. cap. 18. Habuit tunc Minda Præsulem DITHMARUM,
qui miraculis claruit, vir abstinentissimus, multis utens jejuniis. Sub
hoc initium habuit *Monasterium in Nendorp*. Et *Comitatus Hoyensis* sub
Henrico VI. quoque eodem tempore initium dicitur habere. Sedit
Dithmarus per annos 21. deinde mortuus est anno 1206.

Libro 7. cap. 42. Fit Mindæ XXIX. Pontifex CONRADUS de
Deipholste / sub quo fundatum est *Monasterium Bischofode* ordinis
Cistrensis, juxta oppidum *Grevensalveshagen* inde per Adolphum illum,
qui postea ingressus est ordinem Minorum, transfertur in oppidum
Kintshelen. Demum, ubi nunc manet, collocatur in oppidum novi *Wol-*
thelen. Sub hoc quoque acceperunt locum *Mindæ Monachi* prædica-
tores anno 1236. Mirum qua celeritate diffusi sint duo ordines mendi-
cantium per Christianismum. Præerat *Conradus* XXVII. bonum no-
men auro pretiosius post mortem relinquens.

Libro 7. cap. 51. Fit Mindæ Pontifex WILHELMUS XXX. vi-
vens in Præsulatu annis 6. mortuus est anno 1242.

Libro 8. cap. 6. Rexit deinde vir præstans JOANNES XXXI. sub
quo fundatum est *Monasterium Clotary* ordinis Cistrensis, (quod dixe-
re vallem benedictionis) à *Comite Oldenburgico*: Quod translatum est
in *Baldorpe* / & ibi ad istud etiam aliquid contulit *Comes Schorwenburgi-*
cus. Sedit per annos 10. hic Pontifex & mortuus est anno 1252.

Libro 8. cap. 16. XXXII. Episcopus fuit WEDEKINDUS, *Co-*
mes de Hoya / qui erat per annos 8. Præsul bonus, mortuus anno
Christi 1261.

Libro 8. cap. 27. Tunc Mindæ gubernavit Ecclesiam CONO
XXXIII. Præsul, vix per annos 5. mortuus anno 1265.

Libro 8. cap. 42. Præfectus est deinde isti Ecclesiæ OTTO I. ejus no-
minis, ordine XXXIV. frater prædicatorii ordinis. Quod mirandum est,
quod viri militares in Ecclesia assumpserint virum ex ordine mendican-
tium, quod forte per provisionem sedis Romanæ accidit. Interim ille
mediocriter sua defendit, & sedit fermè per annos 7. mortuus anno 1277.

Libro 8. cap. 51. VOLCQUINUS, XXXV. vir virtute conspicuus
in ea Ecclesia Præsul erat per annos nondum octo, mortuus anno 1281.

Libro 8. cap. 59. Sequitur CONRADUS ejus nominis *Secundus*
XXXVI. Nihil habet memorabile, nisi quod in diebus suis impetra-
runt

runt fratres minores locum in Hannover. Moritur anno 1295. cum annos 17. habuisset in Pontificatu.

Libro 9. cap. 10. Mindæ tunc curam Ecclesiæ suscepit LUDOLPHUS de Norstorp / genere militaris, qui fuit XXXVII. Præsul, & mortuus est anno 1314. Et sub hoc Pontifice *Monasterium in Essegstorp* fundatum est & per subsequentem Pontificem ad regulam D. Augustini est consecratum.

Libro 9. capit. 19. GODTFRIDUS, de *Waldech Comes*, fit XXXVIII. Pontifex Mindæ, qui magnam inde laudem & perpetuam meritorum memoriam reportavit, quod extruxerit *arcem* ad ripam fluminis *We seræ*, *Petershagen* / qui locus ex eo tempore assidua fuit Pontificum mansio. Rexit annos 10, & tunc mortuus est, qui memoria dignus est æterna.

Libro 9. cap. 28. Eligitur Pontifex LUDOVICUS, *Dux Lunenburgi & Brunsvige* XXXIX. Princeps fuit modestus & rexit Provinciam annos 22.

Libro 9. cap. 36. GERHARDUS, *Comes Schouvenbergicus*, tunc Episcopus Mindensis est electus, sub quo Epidimia ubique in omnibus provinciis grassabatur, quæ tanta fuit, ut tertia ubique pars populi extincta putaretur. Gravis ira Dei monente scriptura Regum & Prophetarum in pœnam peccatis venire pestem, famem, bestias malas, quas refert, quæ fructus consumant & hominibus noceant. Pontifex tantum annis 7. vix præfuit, futurus Ecclesiæ non inutilis, si diutior ei vita fuisset.

Libro 9. cap. 49. Sequitur Mindæ in Præfultu THEODORICUS *ENGELBOD* / homo plebei generis ex Stendalia natus, Cistriensis ordinis Monachus, qui per Carolum IV. Imperatorem eductus è Monasterio propter eruditionem ac industriam, secutus est aulam, deinde ejus opera primo ad Ebronensem, mox ad Schlesvicensem, tandem inde translatus ad Mindensem Præfultum est profectus. Et cum ibidem solerter in nonum usque annum præfuisset, discordantibus in electione votis, præficitur ejusdem Imperatoris studio *Magdeburgica Ecclesiæ*.

Libro 10. cap. 5. Statim eligitur GERHARDUS *Schouvenbergicus Comes*, prioris Gerhardi ex fratre nepos, intercedente priori *Præsule Gerharde*, *Thesaurarius summi templi*. Hic cum fratre *Adolpho* profectus est in terram sanctam ex devotione. Quod ipsum est aliquid, sed tamen non adfert perfectionem. Ego consentio sermoni, qui exivit
in

in proverbio: Qui multum peregrinatur, raro ſanctificatur. Interim Epifcopus cum fratre periit in mari, &c.

Libro 10. cap. 25. OTTO cognomento WETTEIN, militaris ex Miſnia, Decanus Eccleſiæ Maguntinæ, vir moribus ætate & eruditione ſpectabilis, Pontificum numero XLIII. factus Præſul.

Libro 10. capit. 33. Sequitur inſignis vir D. WEDEKINDUS, de Monte Dominus, advocatus Eccleſiæ Mindenſis, & Præpoſitus Eccleſiæ, in religione vir non erat ſegnus, & in armis ſtrenuus, jura Eccleſiæ defendit. Sedit annis 16. mortuus anno 1384. Quando vacavit Eccleſia menſibus 7. per diſcordiam eligentium.

Libro 10. cap. 51. Tertius ejus nominis OTTHO de Minda, genere militaris, Hildeſiæ ad S. Mauritium Præpoſitus, fit Pontifex XLV. Mindenſis Eccleſiæ.

Libro 11. cap. 13. Illa rurfum ſucceſſorem accepit ex proviſione Bonifacii IX. inſignem virum dominum MARQUARDUM de Rindolm Suevum natione, origine militarem, virum primum conſilio & manu. Cum hic eſſet ſtipatus multis equis introductus, ſtatim ad Conſtantienſem Eccleſiam transfertur.

Libro 11. capit. 24. Translato illo ad Conſtantienſem, ſperant Canonici ſui juris eſſe, ut eligant novum. Itaque Præpoſitum ſuum WILHELMUM de BUſſe eligunt, ut eſſet numero XLVII. Sed reſervavit ſibi Romana ſedes iſtorum Epifcopatum collationem, qui apud eam erant vacuati.

Libro 11. capit. 31. Mindenſis Eccleſia, quem non expectabat Pontificem, accepit ordine & numero XLVIII. ſi prædictum Wilhelmum (alias Wilkinum) qui ultra electionem non eſt provectus, numeraveris nobilem Dominum OTTONEM, Comitem Reibergicum, majori etiam Pontificatu dignum, qui bene præfuit.

Libro 11. cap. 42. Poſt OTTHONEM, meruit Pontificem Mindenſis Eccleſia WILBRANDUM, Comitem de Hallermundt / virum & religione & natu primum: erat enim, unde aſſumptus eſt, Abbas Corbienſis, nullo in ditione Pontifice inferior, ordine XLIX.

Libro 11. cap. 35. Sequitur ALBERTUS Comes in Hoya / in Epifcopatu homo ſatis ventri deditus plus quam religioni. Ruſticam ſere egiſſet vitam, totos pene dies agens in convivio aut ruſtica communione: familia pariter & reliqua plebe ſe gerente ad Epifcopi quaſi unum ex ipſis: ad hoc ſe natum putabat, ut ederet ad hoc nobilitate proſectum ut in deliciis ageret, quod tamen non magnopere requiſivit: ad hoc pro-

profectum ad Episcopatum, ut sumptus, quo minus posset de patrimonio, de Ecclesiæ proventibus haberet. Sic animatum, sic viventem viderunt illum sua tempora: De divinis rebus in religione & Ecclesia, de proventibus Episcopalis mensuræ adaugendis, de arcibus suis firmandis nulla illi cura fuit. Suo tamen tempore *Monasterium insigne Mollenbeckense mutavit* post canonicas (moniales) excipiens fratres regulares anno millesimo quadringentesimo primo. Nam sub manibus dominarum ruebant ædificia & collabantur omnia, peribant prædia & ad mendicitatem versa erant omnia: Nunc sub manibus fratrum regularium omnia refluoruerunt.

Libro 12. cap. 19. Post *Albertum* præficitur HENRICUS, Comes *Schoorvenbergicus*, qui in ea jam præsidet cum summa laude in hodiernum: Vir tranquillæ animi, modestus, pacificus, & qui nulli unquam detrimento fuit, ita versatus inter omnes sine querela, &c.

Hactenus Krantius in Metropoli.

Sequitur additio ex Appendice Metropolis.

Moriens *Henrico* suscepit FRANCISCUM *Brunsvicensem Ducem*, Germanum fratrem *Christofferi Verdensis* & Administratoris *Bremenensis*, patre *Henrico* hoc procurante: Et sensit hoc vivens Episcopus *Henricus* istam successorem, quod nonnulli ex capitulo suo hoc agerent. Hactenus *Krantius* Additio nostra de sequentibus Episcopis. *Franciscus* ille cum non diu superesset, assumitur FRANCISCUS WALDECHIANUS COMES, qui hujus Ecclesiæ Administrator fuit, & quia duarum *Monasteriensis* & *Osnaburgensis* Ecclesiarum Episcopus erat, raro in hac versabatur. Cum autem à *Philippo Magno Duce Brunsvicensi* hoc nomine, quod aliquando *Landgravo Hassiæ* belligeranti contra suum patrem *Henricum Ducem Brunsvicensem*, opem tulisset, improvidè, turbaretur ex ditione *Osnaburgensi* & in summas duceretur angustias, coactus est *Mindensem Episcopatum* resignare *Philippi* fratri *Julio*, Duci *Brunsvicensi*. In isto autem bello, quod *Philippus* contra *Franciscum Waldechianum* movit, se fortes præbuerant *Mindenses* cives in conservanda sua urbe. Postea vero cum *Philippus Dux*, cum fratre *Carolo* periret in pugna habita cum *Alberto Marggravo*, prope urbem *Hannoverensem*, & hæreditas Ducalis ad solum tunc spectaret *Julium Ducem*, resignavit ille Episcopatum & jus suum in manus Capituli ea lege, ut assumerent in suum locum, patrum *Georgium*, *Ducem Brunsvicensem*, *Præpositum Colonensem*, penultimi *Francisci* fratrem, &c. qui est ita assumptus & hodie in illo Episcopatu sedet & præter illum nuper quoque obtinuit ex electione *Archiepiscopatium*

Oooo

patrum

patum Bremensem, & administrationem Verdensis Ecclesie post obitum ir-
tris Christofferi, &c.

Supplementum eorum, quos, D Krantius in ordine
non habet.

Krantius præterit imo potius desideravit & non reperit in archiepis
13. 14. 15. 20. 21. & 28. Episcopos Mindenses, quos hic ordine referemus, ut
completeatur numerus eorum. Interim secularia istorum acta in *secu-*
dam reservabimus librum, in quo omnia plenius de rebus Mindensibus
tractabuntur, quam id à Krantio factum legimus.

XIII. Episcopus Mindensis, fuit Ramwardus, qui transtulit *Monsium*
Monasterium ex loco excelso den Bedefensberge / (ubi propter vento-
rum, pluviarum, sylvarum, tenebrarumque incommoditatem amplius
hæere non potuere) transtulit in urbem Mindensem & fundator ita-
titit Ecclesia Mariana Mindensis anno 1009. De illo extant hi versus:

Vicit arentes herbas & circumfovet illas,

Quæ proferre boni germen odoris habent.

Episcopus XIV. fuit THEODORICUS II. anno 1014. qui sedit annis 8,
& mortuus est anno 1022. de quo sunt hi versus:

Ecclesie muris ortum complectitur altis,

Et spaciatur oves absque pavore lupi.

Ex quibus apparet illum aliquid in ædificatione cujusdam templi perfe-
cisse, & ipsum fuisse fidelem in suo officio, &c.

Minda fit Episcopus XV. Sigebertus, qui & DEO hominibusque gra-
tus erat, qui ornamenta & clenodia (ut sic loquar) contulit ad decorum
templi eleganter ornata auro & gemmis. Hic quoque dicitur *fundator*
esse Ecclesie collegiate ad D. Martinum, in qua etiam sepultus est año 1096.

Præsul XX. erat ODELRICUS, qui vixit circa annum Domini 1096.

Vigesimus autem primus fuit GODESCHALCUS, qui mortuus est
circa annum Domini 1112. Nihil de istis duobus referunt annales.

HENRICUS II. fuit XXVIII Episcopus, qui contulit fratribus suis
(videlicet in collegio) decimas in loco, den Bischoppeshagen. Et ab illon-
terum cœnobium in loco den Bedefensberge ad S. Margritam translatum
esse in urbem referunt annales, &c. Quomodo id factum sit, & quid his
verbis intelligatur, non percipio &c. Vixit in Episcopatu per annos 4,
circa annum Domini 1209.

Plura de omnibus referam, & ipsorum gestis in Libro Secundo & Tertio
Nam illa breviter collecta ex diversis Chronicis ordine, si id Dominis Ca-
pitularibus & Senatui placeat, breviter dabo, adjunctis iis qua. ex Krantio
addenda sunt, &c.

FINIS.

LIBER